



## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis  
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis  
Eivsdem In tres Tomos distinctis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

7. Vtrum caro Christi in partibus fuerit peccato obnoxia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)



quod ex semine maris est conceptum, fuit in Adā, & in alijs patribus, secundum rationem feminalem. & ideo mediante beata Virgine, Christus secundum carnem dicitur esse ex semine David, per modum originis.

AD TERTIVM dicendum, quod Christus habet affinitatem ad humanum genus secundum similitudinem speciei. Similitudo autem speciei attenditur, non secundum materiam remotam, sed secundum materiam proximam, & secundum principium actuum, quod generat sibi simile in specie. Sic igitur affinitas Christi ad humanum genus sufficienter conferuatur, per hoc, quod corpus Christi formatum est ex sanguinibus Virginis, derivatis secundum originem ab Adam, & alijs patribus. Nec refert ad hanc affinitatem undecumque materia illorum sanguinum sumpta fuerit: sicut nec hoc refert in generationem aliorum hominum, sicut in prima parte dictum est.

ARTICVLVS VII.

Utrum caro Christi in patribus fuerit peccato obnoxia.

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur quod caro Christi in antiquis patribus peccato infecta non fuerit. Dicit enim Sap. 7. quod in diuinam sapientiam nihil inquinatum incurrit. Christus autem est Dei sapientia, ut dicitur 1. ad Cor. 1. ergo caro eius nunquam peccato inquinata fuit. Praeterea Damascenus dicit in 3. libro quod Christus primitias nostrae naturae assumpsit: sed in primo statu caro humana non erat peccato infecta, ergo caro Christi non fuit infecta, nec in Adam, nec in alijs patribus.

Ad praeterea Augustinus dicit in 19. super Genesim ad litteram, quod natura humana semper habuit cum vulnere vulneris medicinam: sed id, quod est infectum, non potest esse vulneris medicina, sed magis ipsum indiget medicina. ergo semper in natura humana fuit aliquid non infectum, ex quo postmodum est corpus Christi formatum.

SED CONTRA est, quod corpus Christi non refertur ad Adam, & ad alios patres, nisi mediante corpore beatae Virginis de qua carnem assumpsit: sed corpus beatae Virginis totum fuit in originali peccato conceptum, ut supra dictum est, & ita etiam secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxium. ergo caro Christi, secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxia.

RESPON. Dicendum, quod cum dicimus Christum secundum carnem eius fuisse in Adā, & in alijs patribus, comparamus ipsum, uel carnem eius ad Adam & ad alios patres. Manifestum autem est, quod alia fuit conditio patrum, & alia Christi, nam

Patres fuerunt subiecti peccato, Christus autem fuit omnino a peccato immunis. Dupliciter ergo in hac comparatione errare contingit. Vno modo, ut attribuamus Christo uel carni eius conditionem, quae fuit, in patribus, puta, si dicamus, quod Christus in Adā peccauit, quia in eo aliquo modo fuit, quod est falsum: quia non eo modo in eo fuit, ut ad Christum peccatum Adā pueniret, quia non deriuatur ab eo secundum concupiscentiam legis, siue secundum rationem feminalem, ut supra dictum est. Alio modo contingit errare, si attribuamus ei, quod actu fuit in patribus conditionem Christi uel carnis eius ut si quia caro Christi, secundum quod in Christo fuit, non fuit peccato obnoxia, ita etiam in Adam & in alijs patribus fuerit aliqua pars corporis eius, quae non fuit peccato obnoxia, ex qua postmodum corpus Christi formaretur: sicut quidam posuerunt: quod quidem esse non potest. Primo, quia caro Christi non fuit secundum aliquid signatum in Adā & in alijs patribus, quod posset distinguere a reliqua eius carne, sicut purum ab impuro: sicut iam supra dictum est. Secundo, quia cum caro humana peccato inficiatur ex hoc, quod est pars concupiscentiae concepta, sicut tota caro alicuius hominis per concupiscentiam concipitur, ita tota peccato inquinatur, & ideo dicendum est, quod tota caro antiquorum patrum fuit peccato obnoxia, nec fuit in eis aliquid a peccato immunis, de quo postmodum corpus Christi formaretur.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod Christus non assumpsit carnem humani generis subiectam peccato, sed ab omni infectione peccati mundatam, & ideo in Dei sapientiam nihil inquinatum incurrit. AD SECUNDVM dicendum, quod Christus dicitur primitias nostrae naturae assumpsisse, quantum ad similitudinem conditionis, quia scilicet assumpsit carnem peccato non infectam, sicut fuerat caro hominis ante peccatum. Non autem hoc intelligitur secundum continuationem puritatis: ita scilicet quod illa caro puri hominis conseruaretur a peccato immunis, usque ad formationem corporis Christi. AD TERTIVM dicendum, quod in humana natura ante Christum erat vulnus, id est, infectio originalis peccati in actu: medicina autem vulneris non erat ibi actu, sed solum secundum uirtutem originis, prout ab illis patribus propaganda erat caro Christi.

ARTICVLVS VIII. Utrum Christus, in lumbis Abrahae fuerit decimatus.

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quod Christus fuerit in lumbis Abrahae decimatus. Dicit enim Apo. ad Heb. 7. quod Leui nepos Abrahae decimatus fuit in Abraham, quia

Christi carne in patribus peccato obnoxia, sed nihil carnis in patribus exceptum fuisse a culpa. Dixerit autem propterea, ne quasi faceret Christum subiacuisse peccato: & est hoc satisfaceret, non difficultatis, quae ex hoc erat quod in patribus immunis a peccato dicebatur.

Potest nihilominus vere dici, quod caro Christi in patribus, ut in patribus erat, fuit subiecta peccato, & cum hoc etiam vere dici, quod caro Christi in patribus, ut ad Christum deducenda, non erat peccato obnoxia: quia nulla ad Christum per Spiritum sanctum & non ex uirili semine deducenda erat. Simpliciter autem affirmata est uera, si caro Christi in patribus fuit obnoxia peccato: quoniam non de carne Christi in leui, sed in patribus enuntiat peccatum: & in de filio Dei maiores debemus gratias, quod ex massa peccatrice carnis suam deduci uoluit.

Super Questionis trigiesime Arisculum octauum.

Tullius ex uerbis Apostoli ad Heb. & Augustini occasione habet. Et significat esse decimatum, soluisse decimas per ministerium Abraham.

3. diff. 3. q. 4. ar. 1.

Tullius ut sonat propter quosdam ponentes, carnem Christi in patribus non subiectam fuisse peccato, sed immunem seruatum.

In corpore tria: primo, duo supponuntur: secundo, duo excluduntur errores: tertio, respondetur questione. Quo ad primum supponitur primo, quod est sermo communis Christi ad patres, supponitur secundo, quod diuersa est conditio Christi, & patrum quo ad peccatum, quia illi subiecti peccato, Christus immunis a peccato.

Quo ad secundum primum error esset conditionem patrum attribuire Christo, secundus esset conditionem Christi attribuire patribus, seu alicui parti cuiusuis eorum. Et quia primus opinantes non habet, secundus uero habet, contra secundum dupliciter arguitur: primo, quia caro Christi non fuit in patribus secundum aliquid signatum: secundo, quia non pars, sed tota caro patrum ex concupiscentia concipitur. Quo ad tertium conclusio responsiva est: Tota caro patrum fuit peccato obnoxia, ita, quod nihil fuit in eis liberum, unde de caro Christi formaretur. Infertur haec conclusio ex antedictis.

Li. 1. c. 6. & 7 non longe a princ. & ca. a med.

Li. 1. c. 20. a med. 10. 3.

27. ar. 3. & q. 4. ar. 3. ad 1.

Vbi aduerte. Autorem non intulisse.